IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift



excludebat. Et erant facta quidem ipsa diuersa inter se atque con
traria. Oriens uero atque sententia ex qua illa fiebant. ualde concinens sibique concordans. Unum et illud requirebat et solum. eorum qui
illa audirent et uiderent salutem. Propterea modo extollit legem. modo
inclinat ac deicit. Non et solum in actibus suis. uerum etiam in
uerbis erat ut dixi uarius ac multiplex non mutando senten
tiam. nec alter factus ex altero. sed ipse quod erat semper manendo. eorum
que dicta sunt usum pro causarum oportunitate uariebat. Non igitur eum
propter ista reprehendas. propter quod illum magis debes dignis laudibus
coronare. Siquidem et medicum eum nunc urentem uidebis. nunc
fouentem. nunc ferro utentem. nunc medicamento. et aliquando quidem
egrotum a cibo potuque cohibentem. aliquando uero eum in ista lax
antem. et modo quidem cooperientem undique et confouentem. nunc uero
ipsi illi calefacto securius imperantem plenam frigidis aquis
epotare fiala. Non utique super hac eum uarietate et frequenti
imitatione culpabis. sed tunc precipue stupebis artem quando ea
que nobis contraria uidentur et noxia. illum cum fiducia uidebis
offerentem. Hoc est et uiri artificis ac periti. Si igitur approbamus
medicum contraria ista facientem. multo magis Pauli de
bemus animam predicare. tam multis se ac diuersis modis egro
tantibus coaptantem. Non et minus hii qui animarum. quam illi
qui corporum languore uexantur arte opus habent. ac uarie
tate curandi. Ad quos si secure. et uelut e directo uolueris
accedere. omnis ab eis spes salutis aufugiet. Et quid
mirum si homines ad hec sanandi temperamenta descen
dant. cum etiam omnipotens deus hoc ipso medicine utatur modo.